DE

MORBIS CUM PETICULIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS
CONSENSU ET AUCTORITATE

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE XXVII AUGUSTI MDCCCXXIV.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FERDINAND. WEITENKAMPF,

POMERANUS.

OPPONENTIBUS

USTORF MED. DR., KORTUM MED. DR., REICHEL MED. DRD.

BEROLINI,

TYPIS CAROLI AUGUSTI PLATENI.

Multa fiunt eadem, sed aliter.

QUINTILIANUS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO, AMPLISSIMO

C. A. RUDOLPHI,

PHILOS. ET MED. DOCTORI, H. PROF. P. O. MUSEI ANATOM. DIRECTORI, SAC. REG. MAGEST. A. CONSIL. MED. INT. ORDINIS REG. DE AQUILA RUBRA EQUITI, ACAD. SCIENT. BEROLIN. MULTARUMQUE SOCIETATUM SODALI ETC.

PRAECEPTORI, FAUTORI ATQUE PATRONO
SUMME VENERANDO

HASCE QUALESCUNQUE PAGELLAS

PIETATIS, GRATI ANIMI, OBSERVANTIAE SIGNUM
SACRAS ESSE CUPIT

FERDINAND. WEITENKAMPF.

De Exanthematibus febrilibus ratione generali.

J. Alibert description des maladies de la peau Paris, 1806.

Übersetzt von C. F. Müller, Thübingen, 1806.

J. J. Plenk Doctrina de morbis cutaneis, q. h. morbi in suas class., genera et species redig. Viennae.

Übersetzt von F. X. Wasserberg. Wien. 1777.

A. K. Lorry Tractatus de morbis cutaneis. Paris, 1777.

Übersetzt von C. F. Held. Leigzig, 1779.

Exanthemata febrilia consistunt vegitatione cutis anomala cum febri conjuncta. Forma, qua prodeunt pervaria quidem est, ëjus tamen ratione tres classes distinguere possumus:

1. Macularum, ubi cutis colorem insuetum, circumscriptis locis, neque tamen prominentibus recipit.
2. Papularum, ubi maculae eminentiores cernuntur.

3. Pustularum, ubi epidermis assurgit, vesicularum forma, quae humorem lymphaticum serosum purulentum, cruentum continent.

Quodsi exitus rationem habeamus, distinguenda sunt:

1. Exanthemata cum desquamatione, ubi morbus epidermidis desquamatione orta finitur quem exitum praecipue in Maculis et Papulis videmus.
2. Exanthemata crustacea, ubi pustulae crustas formant, sub quibus sanatio efficitur.
3. Exanthemata exulcerata, ubi cutis haud sanatur, sed in exulcerationem abit.

Exanthemata ipsa sunt inflammationes cutis lymphaticae ex causis quibusdam internis externisque ortae, mixtio autem Lymphae propria in singulis exanthematibus incognita est. Contagium, a corpore toto exceptum, humoribus infertur et si erumpit in cutem translocatur, quae sententia quidem nostris temporibus a pluribus in dubium vocata [1]) his argumentis tamen probatur: videmus e. g. in variolis eruptionem ex anthematis aequalem in corpore toto, quam odor variolarum proprius ex ore antecedit, affectiones catarrhales, quae morbillos, anginam, quae scarlatinam et motus febriles, qui eruptionem exanthematum nonnullorum praecedunt; apparet etiam, exan-

1) Stieglitz, Versuch einer Prüfung und Verbesserung der jetzt gewöhnlichen Behandlung des Scharlachfiebers, p. 126.

themata nonnunquam in sanguine progigni, ut exanthema in febri miliari et peticulas.

Pro indole propria et febri adjuncta exanthemata in duas classes dividuntur.

1. Exanthemata, quae certum utique decursum sumunt et contagium proprium habent, quo ab altero corpore ad alterum transferuntur, si opportunitas quaedam, id recipiendi est. Distinguimus in eorum decursu stadia quinque, Stadium infectionis, eruptionis, efflorescentiae, suppurationis (quod quidem in variolis tantum assumi potest) et desquamationis. Febris antecedit exanthematis eruptionem quae quidem pro Crisi imperfecta aut Metastasi in cutem haberi potest, quoniam febris plerumque aliquanto remittitur. Exanthemata, quae hanc ad classem pertinent, contagii vi extincta, eundem hominem plerumque semel tantum invadunt, sed nullum eorum est, de quo invasionis secundae exempla haud adnotata sint; facile etiam credi potest, exanthemata alterum alterius vim tollere posse, quod saltem de variolis vaccinis ac genuinis cognitum est. Priori tempore persuasum erat medicis, exanthemata duo diversi generis eodem tempore eundem hominem invadere non posse, [2])

2) Darwin Zoonomie Vol. II. p. 250.

quod tamen fieri posse experientia nostrorum temporum confirmavit. [3])

2. Exanthemata, quae incertum decursum sumunt, nec proprio contagio gaudent. Tempus, quo absolvuntur, eorumque eruptio incerta sunt, critica etiam in quibusdam morbis observantur, desquamatio in iis minus characteristica et plerumque causa proxima in abdominis organis posita est; febris concomitans magis indolem nervosam et putridam refert.

Exanthemata etiamnum dividenda sunt in:

1. Exanthemata febrilia acuta sive Exanthemata stricte sic dicta, et
2. Exanthemata non febrilia sive chronica sive impetigenes.

Quae divisio sane haud satis definita est, exanthemata enim nonnulla tam ad classem primam, qnam ad secundam pertinere saepe videmus, v. c. exanthema in febri urticaria.

Auctoribus aliis etiam divisio placet in:

1. Exanthemata topica idiopathica, et
2. Exanthemata sympathica.

Exanthematis genus cum formam acutam tum chronicam referens peticulae sunt, quarum indolem ac naturam paucis illustrare studebo. Auc-

3) Russel Transactions of a Society for the improvement of medic. and chirurg. Knowledge Vol. II. Henke, Handbuch der speciellen Pathologie, Vol. II. p. 35.

tores quidem nonnulli ad exanthemata eas haud adnumerant, sed iis locum inter haemorrhagias adsignant, [4]) haud dubium tamen mihi esse videtur, eas maximo cum jure ad exanthemata referri posse, licet opinio illa rationibus experientia sustentatis firmetur, quum peticulae interdum in senibus sine febri, magna atonia, praecipue in systemate sanguifero laborantibus observatae sint.

Nomen Petechiarum nonnulli a nomine italico, „Pedochio" (pediculus) [5]), alii a verbo hungarico „Pedatschen" (maculae) [6]), celeberrimus Himly a nomine „Peste" derivant, qui existimat, hunc morbum initio pestechias nominatum esse. Hic morbus jam medicis antiquis cognitus esse videtur, et si auctores nonnulli contenderunt, eum temporibus historiae medicinae recentioribus tantum observatum esse [7]) haud ignorandum tamen est, quod etiam Joh. Lange [8]), G. H. Welsch [9]) et Gruner [10]) proposuerunt, peticulas jam ab Herodoto, Agathini discipulo, Aharun, Gaddesden, Jacobo de Pars et auctoribus aliis antiquis commemoratas esse, qui medici, ut pri-

4) Henke, specielle Pathologie, Vol. II. p. 202.
5) St. Blancard, arzeneiwissenschaftliches Wörterbuch nach der Isenflammischen Ausgabe, Vol. II. p. 545.
6) J. T. Eller, ausübende Arzeneiwissenschaft, p. 479.
7) Valleriol. enarrat. med. lib. I. 8. p. 152.
8) Epist. lib. II. 15. p. 619.
9) Curat. propr. dec. VI. cur. 1. p. 287. Vind. 1698.
10) Morbor. antiquit. p. 110.

mas tantum hujus morbi lineas nobis descripserint eo permoti sunt, quod maculas tales non naturae morbi essentiali tribuerunt et eas accuratius describendas necesse non esse crediderunt. Peticulae igitur morbum referunt, quo in cuti maculae rubrae, lividae, fuscae, nigrae haud eminenter observantur, qua forma tamen plures morbi prodeunt, qui tamen characteris ratione inter se distinguuntur. Discedunt in duas classes, quae sunt:

I. Peticulae sine febri, et

II. Peticulae cum febri.

I. Peticulae sine febri, etiam symtomaticae, secundariae, non criticae dicuntur, quas Petrus de Castro Petechias pulicares appellavit. Oculis se offerunt maculis in cute rubris, purpureis, lividis, quae omnes inter colorem rubrum nigrumque mutationes percurrunt et verae quidem sugillationes sub cute ambitu vario sunt. Saepe circumscriptam, pulicis morsui simillimam, cujus rubor digiti impressioni cedens mox redit, saepe autem diffusam referunt formam, interdum etiam ad vibices confluunt. Macularum, primitivis absumptis et novis restitutis, numerus, magnitudo, forma, conjunctioque semper variat. Ubique in superficie corporis tota, rarius quidem in facie saepius in trunco et extremis corporis partibus erumpentes non sunt criticae; etiam exempla nonnulla memoriae tradita sunt, ubi in mortuis etiamnum remanserant. Genera hujus classis varia distingui possunt:

1. Peticulae pauperum, quas inter humilioris sortis homines praecipue grassari observant medici, unde etiam earum denominatio derivanda est. Causa earum proxima quidem in vitae genere sordido, in cutis curatione plane neglecta, in domicilio valetudini infesto, in cibo potuque pravo, parum nutrimenti praebente et corrupto quaerenda est, qua de causa saepe temporibus annonae caritate vexatis observatae sunt. Sed medicus sibi cavere debet, ne decipiatur, exempla enim existunt, quibus febris nervosa serius ad hanc peticularum varietatem accessit sine nexu aliquo causali, quod evidenter ex eo elucebat, quod plures aegroti, peticulis iisdem laborantes a febri nervosa haud corripiebantur. Antequam igitur curatio inchoatur exactum aegroti examen praemittendum est ne credamus, morbum veram esse febrem petechialem. Timendum est etiam, ne pulicum morsus, qui apud pauperes sordidosque homines copia haud exigua inveniri solent, pro peticulis habeantur, quod sane observatori negligenti accidere potest si etiam Diagnosis non est obscura, nam Peticulae sunt maculae planae laevesque, quarum nonnullae formam angulatam adsumunt, pulicum autem morsus in centro punctum habent et rubor a centro ad peripheriam magis magisque diffusus est.

2. Peticulae senum. Haec est altera Peticula-

rum differentia. Senibus quibusdam, qui ab juvenili usque ad provectionem aetatem sanitate perfecta gavisi sunt, variis corporis locis, praecipue autem in extremis, cetera corporis valetudine haud affecta, Peticulae tempore et forma non distincta nascuntur, quae sensim pallescunt et tandem sua sponte plane disparent. Causa earum proxima quidem in languore senili quaerenda est, qui ut in corpore toto sic etiam in vasorum parietibus se manifestat. Novi ipse senem, 83 annos natum, qui quamquam animo adhuc hilari et sanitate perfecta fruitur, aliquo iam ex tempore his maculis vexatur sine ullo aegritudinis sensu. Ita igitur Peticulae plerumque minus valent, quamquam exempla non desunt, quibus marasmus senilis ex his Peticulis ortus est.

3. Peticulae secundariae, quas saepe, viribus corporis debilitatis, post morbos graves et pertinaces praecipue post febres intermittentes diuturnas oriri videmus. Atonia partium solidarum propria, praecipue vasorum cutis, causa earum proxima haberi potest, diathesis scorbutica quidem non semper adest, sed cum hoc malum non nisi viribus restitutis tolli soleat, non est dubitandum, quin ipsum in illarum defectione constituta sit. Facile cum maculis confundi possunt, quae ex causa syphilitica oriuntur, praecipue in periodo earum prima, hae tamen evi-

denter eruptionis loco distinguuntur, in facie enim, in dorso et pectore nascuntur, epidermis desquamatur, mox renovatur et crusta rutila, parum supra cutem elevata formatur, sub qua saepius dejecta et recreata cutis sicca humore quodam afficitur et tandem in ulcera abit. Quae maculae saepe quidem sine ulla mutatione per multos annos adsunt et facillime pro peticulis falso habentur, tum autem lues universalis, quae semper hoc malum comitatur et procreat, diagnosin veram efficiet. Interdum hoc peticularum genus etiam cum scarlatina, variolis, febribus nervosis putridis etc. conjunctum est, ubi haud credendum est, febrem petechialem veram adesse, nam hae Peticulae omnino non sunt symtoma febris putridae essentiale, sed tantum fortuito superveniunt, non enim in stadio inflammatorio, ut in febri petechiali, erumpunt neque sunt criticae, sed plerumque tantum sub morbi finem, corpore maxime debilitato et vita paene exhausta, accedunt, his febribus contagio latius sparsis, alios his peticulis vexatos, alios non vexatos videmus. Partim hae Peticulae minimae tantum, pulicum morsui similes sunt, ut facile, cute obscuriori colore tincta, plane oculos effugiant, partim autem sugillationes majores etiam imperialis aut manus ambitu observantur, saepe vibices longae praecipue in dorso, ut

ferulae plagas aequent, saepe alte in cutem colore nigro penetrant, rarissime etiam manus usque ad carpum ubiqne colore nigro obductae sunt (Frank) quod semper mortis signum appropinquantis erat. Omnino hic Prognosis eo melior est, quo lucidiores sunt petechiae, eo pejor autem, quo obscuriorem colorem ostentant.

4. Morbus maculosus haemorrhagicus Werlhofii, sic dictus ab Illustr. Werlhofio, [11]) Adair, Scotus, huic morbo nomen: Haemorrhoeae petechialis dedit. Nullo doloris sive mali sensu praecedente nisi languore quodam insolito et cibi fastidio maculae vel peticulis in febri petechiali similes, vel forma majore aut vibices sine motu febrili ullo in cute erumpunt, quae praecipue in ore et faucibus, in latere etiam malarum initio observantur. Aliquo tempore post sanguis ex iis exstillat vitiosi subnigri coloris, cujus copia interdum ad libras plures quotidie augetur, rarissime etiam vesicae, sanguine repletae in cute exteriori conspiciuntur, quod Acrel observavit. [12]) Haemorrhagiae colliquativae adhuc aliae praecipue epistaxis accedere solent. Vulnera accidentalia copiam sanguinis magnam emittunt, et vulnera quoque vetera, cicatrice obducta, recru-

11) Werlhoff opera Tom. III. p. 540.

12) Rudolphi schwedische Annalen Band I. Heft I.

duisse dicuntur. Morbus plerumque per longum tempus persistit, saepe menses nonnullos et memorandum est, sanguinem e venis emissum heluolum ut in statu normali esse, quamquam sanguis ex ore effluens decolor est et aeger ex ore odorem spargit cadaverosum. De morbi natura nihil certi exploratum est, etenim qui causam morbi proximam in sanguinis solutione quaerendam esse dicunt, eos id ipsum, quod dixi, refutat et incertus morbi processus; mihi potius haec causa in debilitate cutis propria et in mutatione ejus organica, qua sanguis in ea primum mixtionem anomalam adsumit quaerenda esse videtur. Obtentum est etiam hunc morbum et Scorbutum idem malum esse, sed hic neque tam subito prodit, neque in terra et in regionibus altis et siccis tam alto gradu reperitur et semper cum statu cachectico totius corporis conjunctus est. Signa ejus primaria in gingiva semper observantur, quae plerumque in morbo maculoso haemorrhagico Werlhofii plane sana est, qui nunquam ut scorbutus dentes afficit. Morbus etiam per se non est periculosus et curatione recta adhibita, plerumque facile sanatur, si etiam haemorrhagia, haud exigua, jam per aliquod tempus perduravit, et cum vires ejus, qui in hunc morbum incidit tam parum imminuantur et in convalescentiae stadio tam celeriter res-

tituantur, fere pro critico habendus esse videtur. Causae occasionales sunt plerumque immundities, domicilium malum, humidum, nutrimentum insalubre et corruptum; interdum quoque refrigerio praegresso oriri videtur hoc malum. [13]) In constitutione quoque febris petechialis epidemica quondam observata est, [14]) neque minus congestiones haemorrhoidales, menstruales acriaque viarum primarum huc pertinere videntur. Sin autem serius motus febriles ad hunc morbum accedunt, aegroti plerumque moriuntur [15]) nec minus periculum augetur, si malum cum morbis aliis conjungitur, quod Wichmann narrat, qui hunc morbum cum variolis copulatum vidit. Maculae in cute et in oris cavo, si colorem induunt helvolum, fausto sunt indicio. Morbus infantes et homines aetatis provectioris invadit, hos autem prae illis, praecipue si constitutionis sunt infirmioris, contagium autem non habet, quamquam haud rarus est, licet rarius eum commemoratum inveniamus, quia saepe, praesertim priscis temporibus cum haemoptysi confusus est.

II. Peti-

13) Hufelands Journal, Vol. XXVI. St. I. p. 108.
14) Hufelands Journal, Vol. V. St. I. p. 180.
14) Hufelands Journal, Vol. V. St. I. p. 190.

II. Peticulae cum febri.

Ad hanc speciem febris exanthematica propria pertinet, de qua in his copiosius agam et quae in auctorum libris salutatur:

Febris petechialis.

v. Hildenbrand, über den ansteckenden Typhus, Wien, 1810.

Hartmann, die Theorie des ansteckenden Typhus, Wien, 1812.

Wedemeyer, de febri petechiali, 1812.

C. F. Becker, über Erkenntnifs und Heilung des Petechialfiebers, 1814.

J. F. Ackermann, über den Typhus 1814.

C. Strack, observat. medic. de morbo cum petechiis etc. Karlsr. 1766.

Übersetzt von de Meza. Kopenh. 1777.

Althoff, diss. de febri petechiali.

Buchholz, Nachricht von der jetzt herrschenden Fleckfieberepidemie in Weimar, 1772.

Sims, Bemerkungen über epidemische Krankheiten, etc. Hamb. 1775.

Richter, medicinische und chirurgische Bemerkungen, Vol. II. p. 135.

Permulta sunt nomina hujus febris, quorum potissima haec sunt: febris petechialis, febris purpuratae, Petrus de Castro eam petechias culicares; Germani: Fleckfieber, Peteschenfieber, Pestfieber; Francogalli: Fievre petechiale; Anglici: Petechial-Fever; Batavi: Bluts-Koorts appellant.

Diagnosis.

Auctores nonnulli in peticulis describendis substiterunt, febremque ipsam perfunctorie descriptam nervosam putridam sive gastricam esse proposuerunt, quod mihi quidem minus aptam nec medico practico utile videtur meliusque morbum cum celeberrimo Himly in stadia plura dividi credo. Distinguenda sunt igitur:

1. Stadium infectionis. Infectio modo facilior, modo difficilior est, cum morbi contagium intensitatem variam referre videatur et receptivitatis gradus etiam in singulis hominibus pervarius sit, alii enim celerrime a morbo infestantur, alii aut tardius aut nunquam corripiantur. Raro etiam morbus sine contagio nasci videtur. Tempus, quo morbus post infectionem erumpit, incertum est, et vis contagii varia ad eruptionem efficiendam multum valere videtur. Primis diebus nullus infectionis peractae sensus esse solet.
2. Stadium morbi initii. Parum se valere sentiunt aegroti et gravitate quadam totius corporis et lassitudine praesertim in extremis partibus inferioribus cum dolore quodam in dorso et lumbis conjuncta laborant; accedit artuum tremor, dolores in oculis, cephalalgia, in dies aucta, angor in praecordiis et vertigo, cibi fastidium, foetor oris et interdum etiam materies biliosa evomitur. Somnus plerumque turbatur, urina aliorum vix a statu normali discedit, aliorum autem

turbida est et ad eius naturam accedit, quam medici jumentosam vocant, quam plerumque ex sordibus gastricis oriri videmus. Lingua est sicca, obtecta et colorem inter album et flavum refert. Aegrotis plurimis aut obstructa alvus est, aut rara, perdura, facies pallet, oculis concavis, facies hippocratica redditur, interdum aeger etiam concussiones electricis similes corpus pervagantes sentit. Stadium primum et secundum plerumque per dies quatuordecim persistit.

3. Stadium febrile. Horas sex ad duodecim occupat. Frigus raro validum invadit, plerumque tantum horripilationes oriuntur, aegerque debilitatum se et sollicitum sentit Signa jam supra enumerata magis minusve perstant: lingua tegumentum flavum refert, urina spumat et nubeculam ostendit, obstructio, cephalalgia, et angor in praecordiis haud desinit.

4. Stadium inflammatorium sive irritativum. Dies septem occupat. Febris initio characterem inflammatorium offert, quem etiam Stoll, [16]) Frank [17]) et de Haen [18]) observarunt; et modo cum affectionibus catarrha-

16) Stoll, Ratio medendi, Tom. III.

17) Frank, de curandis hominum morbis, Libr. III. p. 222.

18) de Haen, Ratio medendi, p. 818.

libus modo cum gastricis conjuncta est. Cum his color linguae albus, cardialgia et vomitus, cum illis oculorum rubor, nasi obstructio, angina levis, et dolor in artubus migrans conjunctus esse solet. Horripilationes in frigus mutantur, quod ardor sequitur. Aeger capitis gravitate et vertigine cruciatur, facies rubra, pulsus plenus sed non frequens, hallucinationes, nonnunquam secundo jam die deliria, deglutitio difficilis. Praecordia dextra tenduntur digito impresso dolore afficiuntur, tanta inertia, ut ne ad quaestiones quidem libenter aures admoveat aeger. Quarto die plerumque crises imperfectae observantur, praecipue epistaxis, quae capiti aliquid levaminis affert, et foeminis saepe menstrua valde profluunt, sanguis colorem rubrum offert, ac modo emissus coagulum parum quidem tenax ostendit, parotides saepe simul morbo tentantur quo fit, ut os deficile aperiatur et aegrotus susurro vexetur. Hoc stadio exanthema erumpit, moculae sunt vario ambitu diversaque forma, initio plerumque grani milii sive lentis magnitudinem referunt, supra cutem haud elevantur et digito impresso cedentes, statim redeunt, colorem flavum, heluolum, coeruleum, fuscum sive nigrum ostendunt, in partibus obtectis copiosissimae cernuntur, praecipue in extremis partibus, in pectore et dorso, rarius in

facie, interdum etiam in fronte, praecipue capite mitra tecto, initio plerumque pallidiores, serius obscuriores evadunt, coloremque celeriter mutant, modo rariores modo densiores erumpunt, ut cutis marmori similis videatur, formam modo circumscriptam, modo diffusam, plerumque autem circularem prae se ferunt, sed quaedam quoque forma angulata reperiuntur, sin autem copia earum magna est, confluunt nonnunquam, ut permagnae fiant maculae, quae ecchymoses sive vibices nominantur, partesque corporis singnlas colore nigro obtegunt. Die tertio sive septimo febris plerumque exacerbatur alioquin continua continens est.

5. Stadium nervosum. Febri in characterem nervosum putridum cum complicatione gastrica versa, calor auctus, febris exacerbata, pulsus undosus, neque frequens neque debilis, labia et nasus colore fusco, cutis sicca, proclivitas ad diarrhoeam, meteorismus, saepe singultus, aegrotus hebes, soporosus, subsultus tendinum, convulsiones leves praecipue in faucium musculis, saepe spasmos in sphinctere vesicae experitur. Typhomaniae peculiaris accedunt, aegroti dentibus strident, imaginibus propriis attentissime pertinacissimeque studeat, qui status saepe ejusmodi est, ut mentem alienatam esse non statim censeas. Aegroti, deliriis blandis soporeque oppressi, stupore magno omnia

ferunt, nihil queruntur tardiusque audiunt. Magna vigilantia est adhibenda.

6. Stadium criticum. Saepe duodecim tantum horas occupat. Transpiratio larga, sedimentum in urina, alvus foetida, saepe etiam epistaxis accedunt, quibuscum phaenomenis simul cum febri symptomata etiam alia sensim evanescunt.
7. Stadium decrementi. Aeger velut ex ebrietate expergiscitur, cibi desiderium et somnus quietus redeunt, animus hilarior fit, cophosis saepe adhuc restat et viribus restauratis demum evanescit.
8. Stadium convalescentiae. Epidermis desquamatur, capilli defluunt, ungues delabuntur. Aegrotus melius se habet quam ante morbum. Memorandum est, hoc in stadio libidinem saepe magnopere excitari. Aeger haud facile denuo infestatur; raro morbus recrudescit.

Morbi anomaliae.

1. Morbus interdum paroxysmos febris singulos febri intermittenti similes sensim sensimque mitigatos ostendit.
2. Nonnullos homines tam levis morbi gradus invadit, ut peticulis formatis etiamnum ambulent, imo in morbi totius decursu ne lecto quidem affixi sint et uti in febri catarrhali se habeant, quamquam aliquid soporis

sensibilitasque hypochondrii dextri quaedam manifesta est.

3. In stadio inflammatorio nonnunquam affectiones cerebri, haepatis pulmonumque inflammatoriae observantur peticulisque haud secutis aegroti saepe angore magno etiamque spasmis vexantur peticularum eruptione prohibita.

4. Hae affectiones inflammatoriae saepe etiam in stadium nervosum procedunt, encephalitis, praecipue capite aegri in delirio multum agitato, pneumonia et etiam hepatitis et enteritis, plerumque cum tympanite conjuncta oriuntur. Saepe etiam peticulae aliae atque aliae erumpunt, parotides tumescunt et vesica urinaria lingua collumque spasmo vexantur, qua de causa aegroti cum doloribus singultiunt, multumque exspuunt. Miliaria interdum etiam accedunt, praecipue methodo excitante morbi initio adhibita, imo peticulae secundariae ad hanc febrem petechialem accedunt.

5. In stadio critico crises nonnunquam sunt imperfectae et saepe etiam serius diebus acriticis accedunt. Sudor criticus interdum plane deficit, morbo levi bene ceteroquin curato. Salivatio critica nonnunquam sequitur, hydrargyro non adhibito, ac nonnullis in aegrotis etiam pedum oedema in hoc stadio observatum est.

Aetiologia.

Causa morbi proxima in debilitate vasorum cutis maxima, paralysi paene simili et in resolutione sanguinis colliquativa propria, cum humorum orgasmo ad cutem conjuncta quaerenda est, quibus febrem cum charactere putrido et peticularum eruptionem explicare licet. Morbus hic contagio nititur quo ab altero ad alterum serpit. Quod contagium multis ejusmodi aegrotis in locum angustum coactis formari videtur nec facile opprimi potest. Cibi penuria, victus tenuis et corruptus, cultus vilis et sordidus et animus tristitia affectus hujus contagii evolutioni favent, quare morbus saepius belli tempore invadit. Contagium parietibus vestimentisque continetur, in quibus plures post menses vim suam retinet, nec minus exempla extant quibus convalescentes adhuc morbum in alios transtulerunt, quod epidermidis desquamatione, quae in aegrotis nonnullis observatur, effici videtur. Causae occasionales pervariae sunt et fere eaedem, quae febrem putridam vulgarem inducunt. Febres petechiales saepissime in regionibus humidis, paludosis, ubi aër vapores multos noxios continet, reperiuntur, qua de causa hunc morbum saepe in nosocomiis, carceribus et navibus, ubi perniciosa harum rerum vis haud diligenter coërcetur erumpere videmus. Non semper autem morbi origo ex indole atmosphaerae quae in sensus cadat derivanda est, saepe enim fit, ut morbus hic in regionibus salubribus, siccis et saltuosis tempes-

tate sicca, serena, frigidaque oriatur. Haud raro etiam sporadicus invenitur, si res supra memoratae illius origini favent.

Prognosis.

Si omnium conditionum rationem habeamus mala habenda est, quamquam morbi initio nihil certi praedici potest, neque magis e symptomatibus singulis judicare licet, sed totius morbi imaginem ob oculos poni oportet. Desperabundi facilius morti succumbunt et complicationes cum morbis aliis, praecipue cum inflammationibus localibus etiam eventum malum praesagiunt. Omnino symptomata sunt bona: sensorium haud affectum per totum morbi decursum, vomitus spontaneus diebus morbi primis, quo titubatio minuitur, epistaxis mediocris die quinto vel septimo, qua capiti aliquid levamenti adfertur, pulsus non frequens et debilis, diarrhoea exigua absque dolore, febris exigua, sitis modica, lingua humida in stadio nervoso et peticulae regulares, rotundae et heluolae. Symptomata mala sunt: facies hippocratica jam morbi initio, deliria citius suborta, urina pallida, flava absque sedimento, lingua sicca, tegumento atro obtecta, tumescentia parotidum brevi effecta, oculi inflammati, genitalium tactus saepe ab aegroto repetitus, unde conjicere licet, cerebrum esse inflammatum, dysphagia, linguae paralysis, vesicae urinalis spasmus, excretio alvi et urinae involuntaria, meteorismus, singultus, vis vesicantium im-

pedita, sensibilitas praecordiorum magna, pulsus parvus, frequens, intermittens, peticulae mature erumpentes, diffusae, confluentes, magnae, evanescentes et denuo usque erumpentes, colore atro tinctae, haemorrhagiae copiosae, colliquativae, dentium stridor, extremarum partium frigus cum corporis sudoribus etc. Morbi exitus omnino dependet ab epidemiae charactere et aegroti curatione, ratio enim perversa semper exitum malum affert. Aegroti saepissime morti apoplecticae in stadio inflammatorio aut serius succumbunt, si encephalitis aderat, interdum autem caput initio haud gravatur et serius quasi modo metastatico afficitur. Suppurationes in cerebro nonnunquam etiam in cadaveris sectione reperiuntur. Aegri alii debilitate magna sive gangraena cujusdam partis diem obeunt. Amaurosis, surditas, etiam otorrhoea morbi secundarii saepe remanent.

Therapia.

Curam prophylacticam et curam therapeuticam adhibemus.

1. Cura prophylactica eo spectat, ut contagio ipso exstincto impediatur morbus, quo minus latius extendat se et singulos corripiat. Huc pertinent haec: *a*) Causae epidemicae et endemicae tollendae sunt, quod quidem multas habet difficultates, certe autem bona disciplina medica publice instituta multum efficere potest, loci incommodis minuendis et removendis. *b*) Caveaut sin-

guli, ne labes illa ipsos invadat, aut regionem ubi morbus saevit, si fieri potest, relinquendo, aut usu aëris liberioris, aut alimentis succulentis, munditie magna, et domicilio salubri ventis exposito. *c*) Cavendum, ne contagium procreetur, aëre puro, aegrotis separandis, munditie, aceto suffiendo, nitro, pulvere pyrio et quo modo Guyton-Morveau fumigationes adhibuit. *d*) Praecipue medici et aegrotantium custodes, qui saepissime cum aegrotis versantur, hoc curent. Nam iis, quae omnino, ne contagium propagetur, praescripta sunt, silentio praetermissis, medicus omni timore abjecto aegrotos adeat, rite vivat, non tamen cui vitae generi deditus erat, id subito mutet, cibis utatur ad vires firmandas aptis, vinum modice sumat. Richter quoque tincturae aromaticae acidae gutt. 20—30 aqua mixtas, quotidie aliquoties sumendas laudat. *e*) Symptomatibus morbi primis observatis, emeticum saepe aut morbum totum tollit, aut bene vertit, laxantia autem, quae nonnulli commendant haud probanda sunt, cum vires exhaurientia vim contagii augeant, laudanda autem sunt remedia diaphoretica et corpus oleo ungendum. Kieser fonticulum vel vesicatorium perpetuum commendat, in nosocomiis enim se observasse proponit, homines ulceribus affectos morbo non esse affectos.

2. Cura therapeutica. Hic morbus variis temporibus varie curatus est, pro variis rationibus, quibus natura ejus dijudicabatur. Diu Alexipharmaca quae dicuntur adhibita sunt, sed mi-

nus prospero successu, postea methodus antiphlogistica floruit, hirudinibus applicatis, venaesectionibus institutis et refrigerautibus porrectis; hanc methodum medici ad celeberrimum usque Strack secuti sunt, quae si nonnunquam bene adhibebatur non tamen omnibus morbi stadiis conveniebat sic ut mox eam non esse veram appareret. Tum celeberrimus Plenk morbo purgantibus medendum esse putavit quo successum prosperum habuit. Minus bene cessit theoria, qua morbum indolis esse putridae et sub primo initio antiseptica, e. g. Chinam, Acida etc. esse porrigenda statuerunt. Haud minus theoriam Brownianam, qua hunc morbum meram febrem nervosam esse opinabantur excitantibus infausto inventu adhibitis falsam esse apparuit.

Cura therapeutica ratione morbi stadiorum, de quibus jam supra diximus, optime explicanda erit:

Stadium primum, ubi morbus sensibus externis et medici observationibus se nondum manifestat, nullam cucationem exigere potest nec quidquam agendum.

In stadio secundo, ubi sordes evidenter aegrum gravant, evacuationes quam maxime indicatae sunt, sed quaeritur, melius per os sive an per anum evacuetur? Morbi initio, ubi lingua valde obtecta est, et sordium sedem magis in ventriculo esse apparet, emetica aptiora sunt ex Tartaro emetico cum sale mirabil. Glaub. in aqua

soluto, singulis cochlearibus per horae quadrantes adhibito, donec effectum inducat; ubi autem proclivitas ad diarrhoeam magna adest et medicus timet, ne eam juvet, loco Tartari emetici Ipecacuanham adhibeat. Emetica non solum sordes amovere, sed etiam vi incitante, quam in systema nervosum exercent, effectum in hoc morbo bonum producere videntur. Diebus autem hujus stadii primis praeterlapsis, emetica haud amplius sunt accommodata, cum aegrotum nimis incitent, et facile nocere possint. Hoc tempore praecipue purgantia, caute adhibita indicata sunt. Saepissime observatum est, per sedes primas tantum materies nocentes evacuari, in sequentibus autem excrementa liquida nihil noxii continere, quo aegrotus magnopere debilitatur, qua de causa laxantia dosibus tantum parvis saepe autem repetitis dari possunt, statimque ea omitti oportet, si sedes liquidae fiant. Manna, pulpa tamerind. sive cremor tartari et magnesia partibus aequalibus mixta maxime conveniunt; praecipue autem hydrargyr. muriat. mite commendandum est, nam cum morbus e contagio oriatur et encephalitis, hepatis affectiones et omnino inflammationes occultae saepe minentur, calomelas est maximi momenti, ut brevibus dicam calomelas in hoc morbo effectus paene mirabiles habet; sin autem interrogor, quo modo agat, mihi cum Cicerone respondere liceat: „Quid scammoneae radix ad purgandum, quid aristolochia ad morsus serpentum possit, video, quod satis est, cur pos-

sit, nescio." [19]) — Laxantia autem saepius repetenda sunt, cum brevi post sordes denuo in tractu intestinorum gignantur, quare non sunt omittenda, quantuscunqne sit languor aegroti.

In Stadio tertio, ubi plerumque sordes immobiles etiam adsunt, sal ammoniac. aegro praeberi potest, quod febrem temperat et sordes ad turgescendum incitat, conjunctio ejus cum pulpa tamarindorum est optima.

In Stadio quarto status synochicus tantus saepe apparet, ut aegroto caute sanguis detrahendus sit, quod saepe inflammationes locales accedentes magis adhuc desiderant, medicum autem circumspecte agere et memorem esse oportet, serius statum putridum exspectandum esse, plerumque sanguinis detractiones locales et methodus antiphlogistica satisfacient, sal ammoniac. porro praebendum est. Saepe in hoc stadio peticulae status inflammatorii causa non erumpunt, qui si levior est hirudines ad tempora et pone aures applicandae sunt, nec minus epithemata frigida capitis prosunt. Semper enitendum est, ut alvus sit soluta et sordibus putridis apparentibus, ut supra dixi semper denuo purgandum est.

In Stadio quinto, ubi status putridus totius corporis cum systematis nervosi debilitate tam evidenter prodit, prae ceteris acida mineralia eorumque praeparata bene adhibentur, praecipue Acidum sulphuricum dilutum cum aqua sive cum

---

19) M. T. Ciceronis de Divinatione liber primus.

syrupo mixtum ita, ut aegroto per viginti quatuor horas ejus semiuncia detur. Medicamentum eximium est radix Arnicae, quae aut in pulveris cum saccharo mixta aut infusi aquosi vel vinosi vel aquoso-vinosi forma praebenda est. Admirabilem illius vim in hoc morbo accuratius cognoscere licet ex libro celeberrimi Collin. [20]) China etiam in hoc stadio est efficacissima, caute tamen adhibenda, nihil enim prodest, si adhuc sordes in viis primis adsunt, quod saepe accidit, cum statum putridum totius corporis saepe e purgationibus neglectis nasci videamus. Priusquam igitnr adhibeatur, laxantibus saepe opus est, ex quibus Rheum maxime eligendum est. Debilitas systematis nervosi totiusque corporis magna, saepe est falsa, ex sordibus in viis primis et statu putrido totius corporis oriunda et plerumque purgantibus remediis et antisepticis cedit, sin autem est vera, sane Nervina nota in usum vocanda sunt, calefacientibus et diaphoreticis autem exceptis, optima sunt Valeriana, Serpentaria, Vinum et Moschus. Si exanthema saepius abit et redit aut plane evanescit et aegrotus magno angore cruciatur, Sinapismi aut Vesicatoria ad nucham vel ad suras applicanda, interne autem Liquoris C. C. succinati gutt. 20—30 porrigendae sunt. Spasmi si metuuntur averti possunt Liquore C. C. succinato, si jam adsunt, mo-

---

20) Observat. circa morbos acut. et chronic. P. V. p. 316 et sequent.

scho adhibito, efficacius autem est Oleum animale Dippel. aut Asa foetida in emulsionum forma ad Drachmas duas sive tres. Omnino calor est minuendus, neque peticulae impedimento sunt, quo minus frigus adhibeatur, imo eventu optimo saepe lotiones totius corporis frigidae et perfusiones capitis frigidae instituuntur [21]), ad quas praescribendas ardens cutis siccitas, capitis gravitas, status soporosus, et encephalitis timenda magis etiam invitant. Potus aegroti sit decoctum mucilaginosum, acido aliquo adjecto.

In Stadio sexto medicus haud multum agere potest, quia crises, si imperfectae sunt juvari non possunt, cum remedia omnia, quae vim diaphoreticum aut calefacientem habent, evitanda sint. Plerumque autem crises jam per se succedent, si medicus in stadiis prioribus morbi decursum bene disposuit. Si diarrhoea profusa, colliquativa supervenerit, vires aegroti valde exhauriens, remedium optimum erit Arnica. Oedema pedum in hoc stadio forte accedens, aegroti viribus restitutis sponte evanescet, nisi mox Radici Squillae cum Cortice peruviano conjunctae cesserit.

In Stadio septimo et octavo medico adhuc reliqnum est, ut vires aegroti restauret et morbos nonnullos secundarios, forte secutos, tollat. Illud Tinc-

21) E. Horn, Erfahrungen über die Heilung des ansteckenden Nerven- und Lazarethfiebers. Berlin, 1814. p. 19.

Tinctura Chinae composita efficitur et morbi secundarii secundum therapiae specialis regulas sanandi sunt. Surditas saepe remanens plerumque sponte evanescit aut facile remedio purgante cum Hydrargyro muriatico miti vel vesicatorio applicato pone aures per aliquod tempus servato plane sanatur.

Febris petechialis epidemiae graviores.

Primae epidemiae febris petechialis memoriae traditae gliscebant seculo XVI, quarum graviores nunc mihi afferendae sunt:

Anno 1505 febris petechialis epidemia in Italia superiori grassata est. [22]) Initio quidem levior videbatur morbus, haud multo post autem malignam induit naturam et viribus exhaustis multos homines rapuit. Capitis gravitas sensuum stupor, delirium et oculorum rubor nervos affectos esse manifestarunt, urina alba et turbida, excrementa cadaverosa, Die quarto aut septimo peticulae eruperunt sine ullo mali levamine, aegrotus erat soporosus aut vigilia laborabat, accessit stranguria sine siti magna et tandem haemorrhagiae debilitantes mortem appropinquantem nuntiabant.

Anno 1527 et 1528 haec febris denuo Italiam superiorem vastavit post hiemem humidam, noto usque perflante et regionibus nonnullis inundatis.

---

22) Paradin chronique de Savoye. liv. III. ch. 97. p. 393.

Anno 1557 febris petechialis epidemia in regionibus illis, quae nunc nominantur: Vendée, Charente et Gironde saeviit [23]) quae velociter aegrotos oppressit. Simul cum morbo sopor continens, symptoma pessimum observatus est. Exanthema die secundo vel tertio cum sudore permagno conjunctum erupit, pulsus autem tardus et normali paene similis. Saepe etiam inflammationum symptomata occultarum animadversa sunt. Sudor foetidus die tertio vel quarto morbum levavit, sed diarrhoea accedens semper fuit periculosa. Quo pallidior et tenuior urina, eo magis morbus protractus est et saepe per plures hebdomades perstitit.

Febris petechialis epidemia alia in Italia superiori anno 1587 hieme grassata est et vere pleurae, glandularum inguinalium et parotidum inflammationes accesserunt. [24]) Morbus saepe cum verminatione conjunctus et die sexto saepe haemorrhagiae criticae observatae sunt. Paribus diebus febris augebatur paribus etiam mors venit. Periculum semper magnum aderat, si urina se naturali appropinquavit sine siti magna. Morbilli etiam cum morbo conjuncti erant.

Anno 1591 febris petechialis epidemia Tridenti saeviit post aestatem calidam ubi annona

---

23) Coytterus de febr. purpur. epidem.

24) A. Treviso de causis, natura, moribus ac curatione pestilentium febrium vulgo dictarum. Mediol. 1583.

simul corrupta erat. Febris cum cephalalgia, insomnia et multis aliis systematis nervosi malis periculosis conjuncta, peticulae die sexto et plerumque cum inflammationum occultarum symptomatibus eruperunt. Haemorrhagiae etiam in hac epidemia criticae fuerunt. Urina ad diem usque sextum normali similis, serius turbida facta et ei similis, quam medici urinam jumentosam vocant. Mortem semper fere stranguria, spasmi et affectiones suffocativae antecesserunt.

Praeterea febris petechialis epidemias etiam observarunt: Hasenöhrl [25]) Viennae 1760. Strack Viennae 1766. [26]) Buchholz [27]) Vinariae 1772, et Althoff [28]) haud procul a Goettinga 1782, quae tamen in medicinae historia non multum valent.

---

25) Historia medica morbi epidemici sive febris petechialis. Vindob. 1760.

26) Observationes medicae de morbo cum petechiis. Carolsr. 1766.

27) Nachricht von der jetzt herrschenden Fleckfieber-Epidemie in Weimar 1772.

28) Dissertatio de febri petechiali 1784.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Ego, Ferdinandus Weitenkampf, prope Tanglimiam natus sum in pago, qui dicitur Daberkowia d. VIII m. Maji anno MDCCCI, patre Carolo Gotthardo, illius loci concionatore, matre Johanna Sophia, e gente Schweikeriana. Auspiciis parentum optimorum ipso etiam a patre et a viris maxime venerandis, Hammerdoerfer, Ernst et Köhler, quibus optime de me meritis summas publice gratias ago, litteris et religione institutus sum. Sub finem hujus institutionis domesticae tantum profeceram, ut anno hujus saeculi vicesimo in universitatem Berolinensem me conferre possem. Cel. Goeschen t. t. Rector Magnificus examine absoluto et testimonio maturitatis accepto d. XXXI M. Maji A. MDCCCXX in album me retulit.

Anno primo ex lege stipendia feci, interea vero logicae et metaphysicae operam dedi, duce Exp. de Henning, nec minus zoologiae Ill. Lich-

tenstein, chemiae Ill. Hermbstädt, botanicae, pharmacologiae et biologiae Ill. Link, praeceptoribus. Osteologia, syndesmologia et arte, formulas medicas conscribendi Ill. Knape, encyclopaedia et methodologia medica, anatomia tam humana, quam comparata, et pathologica nec minus organorum sensuum, physiologia et historia vermium intestinalium Ill. Rudolphi me instituerunt, qui viri Ill. etiam, artem cadavera dissecandi in theatro anatomico me docuere. De materia medica et fontibus medicatis Cel. Osann, de pathologia generali et semiotice Cel. Fr. Hufeland, de pathologia speciali, therapia speciali, morbis syphiliticis et militum morbis Ill. Horn, nec minns de morbis syphiliticis Exp. Oppert, de ophthalmologia, et fascias applicandi arte Exp. Jüngken, de morbis phthisicis et Hippocratis aphorismis Ill. Berends, de chirurgia generali et akiurgia Ill. Graefe, de chirurgia generali et speciali Ill. Rust, et de arte obstetricia Ill. de Siebold et Kluge disserentes audivi. Denique Clinica tam medica quam chirurgica frequentavi Ill. Berends clar., Neumann, Ill. Graefe, Rust.

Anno superiori acerrima mors patrem mihi optimum eripuit, quo casu gravissimo vehementer afflictus.

Tentamine jam et examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, fore spero, ut summi in Medicina et Chirurgia honores rite in me conferantur.

Theses defendendae.

I.

Semen e vesiculis seminalibus non resorbetur.

II.

Medicamenta simplicia compositis semper sunt praeferenda.

III.

Nulla in hydrophobiam remedia nisi externa.

IV.

Bilis in Ictero resorbetur.